





AB  
AVGVSTISSIMO PRVSSORVM REGE  
FRIDERICO II  
ET  
MAXIMO  
DOMINO SVO CLEMENTISSIMO

INIUNCTVM  
PROFESSORIS ELOQVENTIAE ET PHILOSOPHIAE  
IN ACADEMIA FRIDERICIANA

MVNVS  
ADITVRVS  
QVAEDAM

DE  
CONFINIIS HISTORICAE ET POETICAE ORATIONIS  
DISPVTAUIT

SIMVL VERO  
SCHOLARVM SVARVM RATIONEM  
EXPOSUIT

IOHANNES THVNMANVS

---

HALAE DIE XXVI OCTOBRIS ANNI MDCCLXXII

---

EX OFFICINA HENDELIANA



LIBRARY OF THE  
UNIVERSITY OF  
MICHIGAN

M. A. J. M. O.

ANN ARBOR, MICHIGAN





Quum a puerili inde aetate, in dulcissimo historiae studio haud parum et temporis et operae consumserim, scripta autem praecipue eorum historicorum, quorum clarissima tum prisco tum recentiore aevo fama atque opinio, quam maxima potui cum cura lectitauerim, haud equidem, quantum hi omnes tota dicendi ratione inter se discreparent, difficulter atque segniter animaduerti. Quam ego quidem rem magnopere mirari solebam; non utique quia nescius eram, quam diuersum colorem vultumque a diuersissimis hominum ingenii, rebusque quas tractat ipsis, quaelibet mutuetur oratio: hoc enim pro munere quodam et beneficio naturae habere didiceram, quae summam sibi ipsa pulchritudinis in eiusmodi posuit varietate: sed alia quaedam erat, et ab hac longe abhorrens, differentia et quasi dissimilitudo, quam utpote iisdem huius naturae legibus minus congruentem, ut non reprehenderem et subaccusarem, fa-

cere nunquam potui. Enimvero ut nihil referre credebam, dulcis esset alius horum scriptorum, et fufus, et vber; alius densus, pressus atque breuis; grandior vero alius incederet, alius iterum multo deductior; hic bellicum quoddam caneret, illius autem voce Musæ quasi locutæ viderentur; dummodo ne a quoquam decentiæ, atque illius castitatis, qua historiæ nihil magis conuenit, transirentur fines; quin immo dum quisque sua via perfectum stitisset opus, ea re magis quoque perfectum euasisse totum hocce orationis genus, facile perspiciebam; ita certe alias isti mihi res agere videbantur, qui longe diuersam viam ingressi, historicam orationem, omni tam forensis eloquentiæ, quam poëseos, cultu, tamquam pudicam virginem fuce atque cincinnis meretriciis, ornare non dubitarunt. Quod, quamuis maxime absolum sit, mirum tamen est, quam multis, et plerumque haudquaquam contusi vel mediocri ingenii scriptoribus, vsu idem venisse reperiẽbam, qui elegantia nimis studiosi, et nescii forsã, quo pacto eas ex ipsa historiæ materia elicerent vberes, quæ illam naturali quodam nitore decorarent, de cetero sæculi quoque ingenio feruientes, spretis simplicibus et modestis hisce gratiis, lasciuas illas et comitiores secuti sunt. Non heic ego de Curtiis, de Annæis, de Stradis solis loquor. Inuasit æuæ fere omnia hoc malum, nostro vero eas adquisiuit vires, ut peruagatum iam omnes terras cernamus, orta præcipue apud Gallos lue, et cum ceteris Gallicis deliciis in dies latius serpente. Quid? quod jam quoque, ut ceteros taceam, in Germanis inuenti sunt, qui ineptam hancce rationem non solum imitarentur, sed defenderent, sed laudarent quoque, et omni modo atque vi, quasi optimæ historiæ locutionis exemplar,

plur, obtrudere nobis conarentur? Qua ego quidem re haud mediocriter me commotum non diffiteor. Quod autem solum potui, summo semper opere optavi, ut jam non gliscenti malo, sed grassanti et furenti, pro virili obuiam iretur. Et quum iniuncti mihi a maximo Regum muneris ratio a me quoque postulare crederem, ut quidquid liberali et ingenuo boni pulchrique sensui officeret, auertere niterer, opportunam credidi esse occasionem, meum hoc desiderium atque votum iis communicandi atque instillandi viris, quibus commodum reipublicae litterariae aequae esset cordi, qui vero multo plus ad idem iuuandum pollerent. At ego, ne bonae omnino causae deesset, haec quaedam de confiniis orationis historicae et poeticae in medium statui proferre; opus sine dubio difficillimum, si curae erit, ut recte istud atque ordine efficiatur; quum elegantiorum harum artium, quemadmodum reliquarum fere omnium, eadem prorsus ac colorum ratio sit, qui quum inter se contingunt, ita confundi ac misceri solent, ut ubi vnusquisque eorum desinat, internosci non possit. Vos vero, Iudices, paruulam meam aequi bonique facite opellam, et quae impertui, candido benignoque accipite animo.

Saepe ego quidem, quum animo cogitarem mecum, qua inueniri potissimum ratione posset, quid tum in ceteris rebus omnibus, tum praecipue in artibus et scientiis quibuslibet, bonum esset atque pulchrum, et in hisce quid proprium cuiusuis vnus esset, quidque eadem cum reliquis haberet commune, nihil ad istud cognoscendum magis vtile atque necessarium expertus sum, quam, quis earum sit finis, quaeque fuerit origo, nouisse. Haud enim

unquam, qui hac procedere via ausi essent, eos consilii sui poenituit. At multis e contrario, quam huius vel nescii vel parum curiosi rationis, in ea mallent inspicere opera, quae maxime perfecta crederent et absoluta, ut ex illis exemplar sibi earum fumerent rerum, quae cuilibet arti quam conuenientissimae essent, hunc eorum conatum pessime haud raro cessisse animaduerti. Etenim haustus ex hisce fontibus praeceptis, nihil solebat esse minus accuratum, minusque artium ipsarum naturae congruens, quae hac quoque re limitibus nunc laxis nimium, nunc iusto arctioribus, saepe circumscriptae sunt. Obseruabam tamen, neque alteri viae suos dumos, suasque difficultates deesse. Plerumque enim inueniebam, hanc, de qua iam locuti sumus, artium originem, tam crassis obductam tenebris esse, ut vix in illa aliquid perspici posset clarius; quae quoque adeo non ab incunabulis poëseos et historiae remoueri possunt, ut, si verum fateri volumus, in illis inuestigandis diuinatione quadam opus sit. Neque istud quidem mirum, quum, qui de hisce edocere nos queat, idoneum auctorem inueniamus nullum. Certum nihilo minus est, si illius harum artium notionis, quae nunc quidem animis nostris insita est, rationem habemus, hanc longe ab illa vetustate superari. Quin persuadere nobis volunt, quibus talia cordi sunt, primi imaginem sermonis esse poësia, hominemque adhaec ferum, quum sensuum ope res, quae illam circumdarent, noscere et distinguere eo modo coepisset, ut illis, utpote superstitiosus et mira vbiq; venans, vitam sonumue et agendi vim, aequae ac sibi largiretur ipsi, species illarum, quemadmodum menti illas impressisset, ita in nominibus imponendis imitatum esse, ut simillimas sisterent haec voces ipsarum idearum



idearum picturas: hinc vero exortam linguam, quae plane poetica esset, qualem etiam adhuc omnibus feris et ad humanitatem minus excultis nationibus esse animaduertimus. Progrediente vero tempore, postquam cognitiones humanae multum accreuissent, linguaque, qua nihil vicissitudinibus magis obnoxium est, ita adaucta esset et commutata, ut multum a pristina non verbis solum et vocibus, sed constructione etiam, totoque orationis habitu, differret, antiquioris huius vsui, vel imitationi, nullum fere iam locum, nisi in canendis Deorum heroumque laudibus, fabulisque, et aliis rebus prisca superstitione sacratiss, relictum fuisse: disciplinis vero, ut ceteris omnibus, quae ad utilitatem vitae, sedatamque et sobriam voluptatem conferre possent, sic etiam rebus gestis tradendis, inde ab hoc tempore paulatim inseruuisse communem et quotidianam locutionem, quum mens, quibus instrui solum optaret, iisdem turbari se, rapique violenter, iam minus patiens esset: et hanc demum rationem, quo naturae magis conueniret, eo maiore cum cura a subactioris adhuc iudicii posteritate semper obseruatam esse ad imitationem non valentibus eorum exemplis, qui in contrariam mallent abire sententiam.

Ego vero ut hanc opinionem, naturae alias humanae satis congruentem, neque affirmauerim, neque quidem negauerim, sic persuasum mihi esse profiteor, quam religionem, vel vitae institutionem, vel artem, vel denique rerum gestarum memoriam posteritati antiquissimi cuiuscumque nationis homines tradere voluerint, posse hanc expressam tradidisse: neque quidem istud eo solum fecisse consilio, quod quidam existimauerunt, ut eo melius

men-

menti infigeretur, cui rationi metrica tantum oratio satisfacere potuisset: sed quod ita ferret linguae ingenium, et loquendi consuetudo, vel quam ipsi usurpabant, vel quam imitabantur a maioribus usurpatam. Eiusmodi certe sunt nonnulla ea, quae Moses seruauit, historicae poëseos fragmenta: eiusmodi Orphei Linique carmina fuisse: sic historicos et legum latores Turdetanorum, <sup>a)</sup> et populorum septentrionalium, cecinisse; huius quoque rationis Cyclicos, omnesque, qui ante Hecataeum historiam apud Graecos scripserunt; huius Eunium quoque, aliosque ante eum Romanos, in lingua iam multum mutata, imitatores fuisse, veri simile est.

Haec tamen, quomodocumque sese habent, fortunae suae libenter permitto, pro iis, tamquam pro veris, nequaquam pugnaturus. Naturam nihilo tamen minus vel inde et poëseos et historiae perspicere posse credo; et ut commoto animo nequaquam in historia scribenda locus sit, utque aliam non patiatur quam sedatam et pedestrem locutionem, ita poësi omnia esse diuersa et contraria. Melius vero de hisce et planius nos edocebit vtriusque artis finis, non ille solum inuentu longe facilior certiorque multo, sed cuius quoque cognitione nihil magis ad terminos illos, qui vtriusque intercedunt orationi, statuendos, conducere valet. Hic igitur nobis praefereat facem, ne in auia flectamus itinera.

Placuit olim Stoicis, iubentque adhuc multi, hunc esse et poëtae et historico finem, et hac in re omni conatu, arte, apparatu, vi, neruisque denique, omnibus contendendum, ut

bonos

a) STRAB. Geogr. L. III. p. 204. edit. Amstel. 1707. f.

bonos mores, et bene viuendi praecepta ac viam, tradat atque inculcet: neque quidquam fecisse videri, nisi hic inde fructus capiatur; neque vero esse, cur de ceteris aequè laborer. At ab hisce, laudabili quidem studio virtutis, sed satis heic intempetiuo, abreptis, summa imis mixta diceres. Neque enim sic inter has artes et moralem philosophiam, et inter finem ipsamque rem, discriminis aliquid relictum esset. Etiam si vero non negauerim, semper me quamdam securam esse poenitentiam, quum eos legissem auctores, qui vel nihil ad vitae fructum adferrent, vel ea etiam docerent, quae bonis moribus essent contraria; nihilo minus, si eam in illis vim inesse, quae ad *ψυχαιωσιον* istam a Stoicis exagitaram faceret, ab hisce autem menti, rerum praeteritarum curiosae, fieri animaduertentem fatis, quamuis cetera non aequè probarem, poetas tamen eosdem atque historicos, et ne haesitans quidem, pronunciaui: hoc solum dolui, non fuisse illis vel voluntatem, vel occasionem, illius operibus suis comparandae commendationis, quae omnium maxima ab vtilitate argumenti ducatur; quum propter insitam illam vtrique arti gratiam atque venustatem, sic sane *quid sit pulchrum*, quidque bonum *atque vtile*, si non *melius ac planius*, dulcius multo et efficacius *Chryssippo et Cranzore* docturi essent. Alium igitur et historiae et poësi finem statuendum putau: et poëseos quidem indubie hic est, vt, in quocumque demum versetur argumento, mentem perfecta quadam pulchritudine atque dulcedine delectet et mulceat; sensus vero omnes ita commoueat, accendat et quasi fascinet, vt eundem illum furoris afflatum, eandem animi inflammationem, qua ipse arderet poëta, audientibus quoque, vel legentibus communicet. Ne-

B

que

que persuadere illa argumentis, neque modice placere curat: spernit haec ut humilia nimis atque abiecta: tyrannicum imperiosam exercet dominatum, magicaque quadam vi pellicet et incantat.

Huic vero illum, quem historiae esse non dubito, adiungam, ut facta comparatione, quibus quisque rebus differat, eo facilius possit intelligi. Haec igitur in eo solum occupata est, ut rerum praeteritarum cognitione instruat: neque vero illa praesudicio quidquam probat aut condemnat, neque persuadere aut commovere studet, neque vero plus placere modesta atque pudica cupit, quam ut ne displiceat. Satis illi est, ita delectare, ut ne quid veritas patiatur detrimenti.

Hi fines sunt, ad quos tendere utraque debet, diversissimi quidem illi, non tamen ita, ut ideo omnis inter has artes similitudo tollatur. Utraque enim in imitando et enarrando versatur: res vero, quas tractat, ita utraque exprimit et exsequitur oratione, ut huic quasi inpositum videatur illarum exemplar: sic denique narrat, ut nihil, quod aliquid momenti adferre possit, negligatur: nihilo vero minus, quantum utraque potest, quid in quacumque re maius sit atque insignius, eligit, neque nimis sedula ad minima quaeque descendit. Eadem in utraque linguae puritas: eadem utramque locutionis dignitas et brevitatis decet. Proletarium utraque aequae adspernatur sermonem, et vulgo solum cognita verba: aequae etiam cauet, ne quidquam committat, quo veritatis species extenuatur atque evanescat. Argumento vero suo utraque vnicuique quidem inhacret, ita tamen, ut digressiones et varietatem admittat. Utraque corpus quasi constituit, cuius quidem membra inter se  
cohae-

cohaerent, quae tamen ad eandem normam dissolui et quasi dif-  
 fecari possunt. Idoneum vtraque argumento principium, ido-  
 neum finem eligit, et ad *inimum* tendit *qualis ab incepto pro-*  
*cesserit*. In hisce autem, et in aliis multis, quum vtraque consen-  
 tiant, haud mirum quidem est, et historiae in elegantioribus artibus  
 aequae ac poësi locum esse datum, et ipsius Quintilianii iudicio,  
 historiam proximam esse poëtis, et quodammodo carmen solutum,  
 quam quidem et ille ad narrandum solum scribi iussit, non ad  
 probandum; et ad memoriam posteritatis et ingenii famam, non  
 vero ad actum rei, pugnamque praesentem. <sup>b)</sup>

At in omnibus hisce tractandis suam vtraque rationem sequi-  
 tur; suum utriusque ingenium, sua forma, suus sermo, suus deui-  
 que natus color est. Poëta quidem ipsam immensam rerum  
 naturam non magnum satis campum ingenio suo reperit: quin  
 extra illam, quotiescumque angustior visâ fuerit, vagatur atque  
 exsultat. Ardenti quasi atque furore quodam ruenti, non vacat, res  
 eas, ad quas animum attendit, ita considerare, ut verum sibi  
 formet earum exemplar: similitudinem quamdam expressisse  
 sufficit. Parua et humilliora amplificat atque exornat: ma-  
 gna, si opus erit, minuit et exilia reddit: neque plane, quemad-  
 modum factae sint res, sed quomodo fieri quam pulcherrime,  
 suoque quam conuenientissime fini potuerint, repraesentat: omnem-  
 que ideo, quam sibi materiam sumit, ut mollissimam ceram ad ar-  
 bitrium suum fingit. Nullis finibus coarctatus, nihil non audet:  
 in inueniendo autem nihil nisi quod animum quam maxime

B 2

mouere

b) M. FAB. QVINCTIL. *Instit. Orat.* L. X. c. I.

mouere possit, videt atque spectat; falsa autem eadem sint an vera, et in natura rerum reperiantur nec ne, haudquaquam sollicitus est, modo speciem quamdam veritatis admittant. Nulla operis fundamenta iacit, nullam adhibet praeparationem; neque refert, a medio et fine argumenti, an ab initio ordiatur. Ita res tractat, tamquam non certae solum, sed iam dudum notae essent atque apertae: ordo autem rerum atque temporum, et colorum distributio, et luminis umbraeque, ea est, quae maxime placuerit. Oratio denique tota, ad omnem rationem, et aurium voluptatem, et animorum motum, versa et mutata.

Diuersae haec historico impositae partes sunt, et in multis rebus quam maxime contrariae. Nulla fingendi potestas; neque, si fecerit, venia: nulla etiam in rebus disponendis, nulla in ornandis, licentia: neque satis est, ad rerum quantumcumque similitudinem accessisse: ipsas res ob oculos ponere debet. Proinde materiam suam ita versat atque introspicit, ita demum tractat et enarrat, ut veram eius imaginem non animo solum concipiat, sed oratione plane exprimat: illorum autem, quae eidem quam planissime reddendae atque effingendae quodammodo conducere poterunt, nihil omnino omittit; tamquam his solum lectoris, quibus ne minima quidem harum rerum cognitio. In nulla denique re ingenio suo indulgens, suam cuiuslibet rei et locum, et tempus, suum denique habitum religiose adsignat. Sic igitur orationis qua vitur optima illa forma erit, quae ipsarum fuerat rerum. Nec enim quidquam in illa mutari, ne dum alia quaedam excogitari, poterit. At in ea re praecipue illi laborandum

dum est, vt, picturae in modum, insigniores illae narrationis partes, ex quibus euentus non solum, sed iudicium quoque legentium pendet, quaeque ideo accuratius quam ceterae cognosci debent, ita emineant atque extent, vt oculos quam maxime in se auertant; reliquae autem, ad quas animus non aequè attendendus est, in umbra quadam atque recessu iaceant. Hic praecipuus sine dubio labor, haec maxima historici ars est: praestandum heic est, quid eloquentia valeat: hinc ingenii fama quaerenda. Nam nusquam alibi in rebus ponderandis acriori iudicio, maiori vero in iuueniendis et disponendis verbis et sententiis perspicacia, opus illi esse, certissime constat.

Hinc patebit, quam diuersus poetae et historico materiae tractandae modus; quam dissimilis rerum sibi repraesentandarum ratio sit: quin et hinc concludi poterit, idem etiam vtrique orationi interesse differentiae. Animi enim imaginem, nullam vnam ex multis illis viis, quibus declarare se et indicare potest, veriorum quam orationem, sistere certum est. Non voci, non gestibus, non vultui eadem vis: neque enim ita distincte, neque eadem cum facilitate et certitudine, sensa animi reddunt atque depingunt. Et licet verbis homines fallant, et, quae in animo habeant, dissimulent, quum eadem saepe, et habitu corporis, et voce prodant, ea tamen re nihil demonstrari poterit, nisi quanto plus sermoni impendant, quantoque flexibilior ille, vel subtilissimum quemque animi ductum sequatur. Vnde fit, vt ex quauis mentis specie atque affectione, non modo omnem ducat colorem, omnemque vim: sed et illam eius faciem, quaecumque demum fuerit, siue turbata et

commota, siue liquida et tranquilla, quasi speculum reddat, eandemque aliis imprimat.

Historicus igitur oratione vitur perspicua, accurata, dilucida, rebusque, quas tractat, quam maxime apposita. Verba deligit, quae nihil noui habent, propria, natia, expressa et sensu tincta: peregrinis vero, et vetustis, et fictis, et ambiguis, et obscuris, religiosissime abstinet. Neque quidem tropis temere vitur; harum enim deliciarum in nulla oratione, et ne in poësi quidem, rectus et congruens vsus est, nisi quum, qui illis frui debet, animus, placidioribus aliis veneribus ita iam mollitus inflammatusque est, vt facile illis quasi solui se patiat: et tunc quidem nihil ad suauitatem ornatus, nihil ad pulchritudinem gratius inueniri potest. At in historiae studio, sedata et tranquilla mens, quum in consideranda rerum praeteritarum serie tota est, nihilque, nisi quod idem sit verum, sequitur, ornamenta haec eo magis adspernatur, quod non solum natura illis, quibus tunc operam dat, aduersissima sunt, sed etiam verae narrationi speciem quamdam figmenti praebent atque falsitatis, quum non proprie ea demonstrant, quae significari atque declarari volumus, sed falsa quadam, quamuis haud dissimili, imagine illudant. Ceterum quum nullo alio consilio scribat, nisi vt, quae narret, recte intelligantur atque cognoscantur, nulli rei aeque studet ac perspicuitati, nihilque magis fugit, quam quae vilo ei modo officere possunt: haec enim, vt omnia scribendi genera eximie decet, atque ornat, sic in historico nulla virtus est, cui praeferrri non debeat: neque poterit merei veniam scriptor, qui in hac re offendit; neque fas erit



erit cuiquam, exemplo se vnius optimorum alias, quos Graecia tulit, historicorum tutari, quum obscurior, qua interdum lactabatur, oratio, ab omnibus limati tersique iudicii hominibus, semper ita reprehensa sit, tamquam quae sola obstaret, quo minus ille, qui alias ita verbis aptus et pressus est, ut nescias utrum res oratione, an verba sententiis illustrentur <sup>o</sup>, pro perfecto quodam historici exemplari, haberi queat.

Est et illi, quae poëtae propria est, orationi, sua in verbis ipsis perspicuitas; sed tamquam alius linguae, ab altera illa genere et caractere quam maxime diuersa. Quum enim verba cogitationibus responsura eligat, vel, si minus inueniantur, ipse creet, fieri necesse est, ut et ipsa saepe aliquid habeant, quod eodem modo a communi abhorreat ratione. Igitur transfert quam audacissime verba; peregrinis, et priscis, et ab usu quotidiani sermonis iam diu intermissis, et nouatis, liberrime vitur: et tantum abest, ut istud necessitate coactus ab inopiam quamdam propriorum faciat, ut ea, quamquam suppetunt, et sensa aequae bene explicant, ob simplicem nimis cultum, etiam cum quodam perspicuitatis damno, reiciat: sunt enim aliae aequae magnae, vel forsitan maiores virtutes, quibus, si in loco adhibentur, non excusari modo, sed etiam, quod tamen timide adiicio, compensari hoc vitium poterit.

Haec igitur lumina, tamquam stellae quaedam, praecipue poetice notant atque illustrent orationem. Est tamen, ubi historicus

<sup>o</sup> c. c. de Orat. L. II. §6, 13.

ricus iisdem possit uti. Quamuis enim proprius maxime gaudet, si tamen nimis abiecta sunt, et grauitate atque decentia carent, impropria quoque pro suis adhibet; cauto tamen et circumspecto semper iudicio. Quum enim natura homines ita comparati sint, ut in suorum verborum copia, aliena multo magis, si sunt ratione translata, eos delectent atque mulceant <sup>d)</sup>, ne in hisce aliisque oblectamentis nimium quidquam fiat, etiam atque etiam prouidere historicus debet, ut ne illa, quae in oratione est, ducti voluptate, vel ab ipsis rebus auertamur, vel etiam, quemadmodum saepe fit, eas aliter videamus, quam vere sint. Reiectis igitur translationibus istis audacioribus, et quae orationi nimium splendoris accesserent, iis tantum vititur, quae communi sermone receptae, ideo nihil, quod minus deceat, habent, quum acies illa earum, atque vis insita, vsu quotidiano ita sit hebetata, ita denique euanuerit, ut nihil iam in illis cogitemus, nisi quod, mutato domestico et natio cum peregrino illo sensu, significant. Harum tamen non in omnibus linguis eadem copia est: vnde factum esse reor, ut, quum poetis omnium gentium vna eademque esset locutio, historicorum longe diuersam conditionem videamus: quod, quum ex aliis multis, tum etiam ex scriptis eorum, in aliam linguam conuersis, non difficile patet. Sunt enim populi, quorum ita exulta est lingua, ut vulgaris etiam sermo tropis, figuris, ceterisque ornamentis vbi-que resplendeat, quibus illi quidem, qui apud eos historiam scribunt, liberrime possunt adhibere, quorum tamen alia lingua, minus

or-

d) ARISTOT. *Rhet.* L. III. c. 2. *Θαυμασαι των απαντων ειναι ηδου δε το θυμασον.*

ornata, si in eandem ita conuersa essent, vt verbum verbo responderet, haud quaquam esset patiens. Denique non dubium est, quin ita optima futura sit historiae oratio, quum, qui eam scribit, magis ad ingenium suae linguae, quam ad exempla externorum scriptorum, animum attendat.

Sequitur iam, vt quibus vtraque in verborum colloca-  
 ne rebus differat, videamus. Ex iis, quae in superioribus dicta  
 sunt, patere credo, eam historicae orationi maxime conuenire stru-  
 cturam, in qua verborum idem ordo sit, ac cogitationum, et, qua-  
 rum istae imagines sunt, ipsarum rerum. Hinc enim simplicitatem  
 illam atque perspicuitatem, quibus historiam nihil magis decet, ori-  
 ri necesse est. Poësi vero traiecta verborum constructio multo ma-  
 gis conuenit: grata enim hacce perturbatione, perturbatus quo-  
 que iste animi inflammati vultus quasi effingitur; neque multum  
 dissimilis legentium vel audientium mentibus commotio imprimi-  
 tur. Attentionem etiam animi excitat, et orationi vim quamdam  
 singularem mutuatur: maxime vero et verborum numero, et  
 vocum modo, inferuit, quorum varietate et blandimentis ad au-  
 rium vincendam satietatem maxime opus est. De cetero poëta  
 ita disponit et coniungit verba, vt ibi sint, vbi maximam habeant  
 efficacitatem; partes vero atque membra orationis ita ordinat, vt  
 non cohaereant solum, sed vt ex hac compositione, vniuersalis quae-  
 dam pulchritudo et multiplicata vis exsurgat.

Cum Musica autem istud poësis commune habet, vt sensum  
 audiendi, qua nulla aperiatur ad animum via, singulari quodam  
 modo,

C

modo,

modo, numeris et sono perstringat. Horum ope, quantum quidem illa, quoque maxime voluerit pacto, nos excitat, incenditque, vel lenit; alacres interdum facit, mox languore soluit; nunc ad tristitiam, nunc ad hilaritatem perducit: facitque, ut uno fere eodemque temporis momento animi affectus quam maxime contrarii sibi mutuo succedant. Cauet igitur, ne ea litterarum fiat concursio, quae vel horridam, asperamque, vel vastam et hiulcam orationem reddat. Nimiam verborum continuationem non solum vitat, sed opportunis etiam interpirationibus ita distinguit, ut gratum quoduis membrum et quiuus articulus ambitum habeat. Clausulas vero, et certam illam interuallorum distinctionem, ea vicissitudine ornat, quae maxime ad voluptatem factura est. Verborum eorundem non assiduus usus; et in traiciendis concinnitas spectatur: neque nimis breuib; nimisue longis continue vitur, sed ita eadem miscet, ut aequabili quodam tractu fluant. Molli atque dulciori verborum atque sententiarum sono, res molliores atque iucundas exprimit; rauco vero et horridiore duras atque asperas imitatur; in grandibus vero pleno quodam et grauiori laetatur. Historia vero, praeterquam quod gratiae istius breuitatis studiosa, orationem crebris distinguit membris, et numero, sed illo tamen remississimo, gaudet, ceteris vel non eger deliciis, vel in illis maxime negligens est.

Poëseos habitus colorque ita varius est, ut plenior ille, et mediocris, et tenuis, aequae eandem deceant. Interdum vehemens est et incitata, interdum demissa et haesitans; nunc tristis, nunc iterum hilaris et laeta: eadem etiam tenera, lenisque, et  
 grauis

gravis, et flebilis, et magna et abiecta: neque quidquam aequè mutabile ac multiplex. Historiam maxime mediocris ille cultus ornabit, ita ut neque sublimior tollatur neque quidem humi preter: parcus figurarum usus, ideoque antithesibus istis, et exemplis, et descriptionibus, et exclamationibus, quibus elegantes illi nostri homines adeo impense sibi placent, vel nunquam vel raro locus. Hisce enim armis nihil opus illi est, quum neque persuadendo neque commouendo flectere animum atque vincere cupiat, sui intra iuris fines viuens, suo paratu contenta.

Restat, ut Commilitiis Honoratissimis, scholarum, quas per hiemem habere constitui, ordinem atque rationem, paucis exponam.

Hora VIII. diebus Lunae, Martis et Mercurii, *Iliada* Homeri: Iouis vero, et Veneris, et Saturni, *Odas Horatii* ita explicabo, ut etiam quae ad Grammaticam, Poëticamque artem pertineant; mores praeterea, et ritus atque instituta, et domesticam consuetudinem ac vitam Graecorum Romanorumque veterum, illustrem.

Hora X. diebus Lunae et Martis, *Archaeologiam litterariam*, ad ductum Heyniani libelli: reliquis diebus *Historiam litterarum et artium elegantiorum*, dictatis praecipuis capitibus, quia idoneum auctorem reperi nullum, declarabo.

Hora I. *Historiam vniuersalem* non rerum solum gestarum, sed ingenii quoque generis humani, enarrabo, semestri tempore, quemadmodum pollicitus sum, absoluendam: vel etiam, ut quidam iam optarunt, *Antiquam* solum, si ita ceteris etiam visum

sum fuerit Commilitonibus, quorum hac in re auctoritas maxime apud me valebit; *Recentiorem* vero proximo semestri explicabo.

Hora IV. *Historicam*, quam vocant, *statuum doctrinam*, faciem praeferente Totzenio, commentabor.

Hora vero X. diei Saturni insigniores *Historiae vniuersalis* locos retractabo.

Tandem neque quoque illis, quibus me duce libitum fuerit *Disputationibus* exerceri, et *Historiam* vel *huius saeculi*, vel *pulorum septentrionalium*, praesertim *Prussorum*, cognoscere, opera mea defutura est.

In hisce vero, Commilitones Honoratissimi, vt in reliquis omnibus, eam polliceor fidem, eam diligentiam, qua nihil ingenuo homini, et officii sui memori atque studioso, antiquius esse debet. Sic enim haberote, nihil mihi, neque esse, neque vnquam magis futurum cordi, quam vt laudem bene, et accurate, et vigilanter seruatæ stationis promerear: quin etiam hoc in animo possum atque infixum est, viam aliam atque rationem inueniri nullam, qua istud efficere possim, vt augustissimo nutu, quo MAXIMVS REGVM ad hocce quodcumque est muneris me appellauit, dignus et sim et videar, vtque spei illi faciam satis, quam de me habuir benignissimam, cui auctori et conciliatori, quidquid vnquam et habeo, et sperare possum felicitatis, acceptum refero, Amicus Regis, Illustrissimus ZEDLITZIVS, immortalis Dei beneficio et humanitati et literis datus. Denique quin hac quoque re et Collegarum venerabilium, qui mihi felicissime contigerunt, beneuolentiam, et Vestrum etiam, Commilitones Honoratissimi, studium atque amorem, comparaturus mihi sim, non dubito.

ULB Halle

3

002 169 592



sb









Farbkarte #13

B.I.G.

AB  
AVGVSTISSIMO PRVSSORVM REGE  
FRIDERICO II  
ET  
MAXIMO  
DOMINO SVO CLEMENTISSIMO  
INIUNCTVM  
PROFESSORIS ELOQVENTIAE ET PHILOSOPHIAE  
IN ACADEMIA FRIDERICIANA  
MVNVS  
ADITVRVS  
QVAEDAM  
DE  
CONFINIS HISTORICAE ET POETICAE ORATIONIS  
DISPVTAUIT  
SIMVL VERO  
SCHOLARVM SVARVM RATIONEM  
EXPOSVIT  
IOHANNES THVNMANNVS  
HALAE DIE XXVI OCTOBRIS ANNI MDCCLXXII  
EX OFFICINA HENDELIANA

1772 13

30

19

